

17

1. O

6

2. M

3. H

17

1.

2.

3. v

4.

17

1.

1728.

1. Becker, Iohannes Hermann: De horologate naturali
bonitatis diurnal non conbaria
2. Munkel, Ioh. Thoman. Fris: De curiosis artificiis.
3. Westphal, Ernestus Trachin: De in date praeterea
juriis Lubecensis i.e. cistalibus Mecklenburgicis.

1729.

1. Campon, Tacatus: De oratione jucundatorum
2. Campon, Tacatus: De intimatiori postulatio-
- ne non privata
3. Munkel, Ioh. Th. Fris.: De crescente pecunia.
4. Triebniger, Ioh. Hin: De philosophia vera
~~in philosophia~~ philosopho virtuoso

1730

1. Becker, Iohannes Hermann: De experientia matre
scientiarum

1730

2. Maatzel, En. Ph. Fid: De am. I. Scripturar
in iusprudentia
3. Linus, Henr. Jacobus: De amicitia hominis misericordie
conditio cum viro magno.
4. Trichmeyer, Iohann Hinrich: Cur errores et falsi-
tates facilius quam veritas propagantur.

1731

1. Becker, Iohannes Hermann: De adulteris brutorum
sive de confusione specierum, brutorum ab homi-
nibus prob. impedita
2. Caronius, Jacobus: De pacis inter christorum et
debetos inimicis
3. Caronius, Jacobus: De regula in justis leges
inveniat, qui contra leges committit
4. Mantzel, En. Ph. Fid: De honorifica dominique
innocentiam.

1731

5. Mankel, Dr. Th. Fris: Turis Mecklenburgiae
privati historia & fontes.

6. Mankel, Dr. Th. Fris: De concursu testi officia
juri in actionibus legibus obnoxio

7. Mankel, Dr. Th. Fris: Turis Mecklenburgiae
privati specialia

1732.

1. Mankel, Dr. Th. Fris: De ablatione juris

2. Mankel, Dr. Th. Fris: De mandato praesunto

3. Mankel, Dr. Th. Fris: De actionibus rei doni
a beneficiaria sacerdotali post his

17

2.

3.

17

1.

2.

3.

4.

188

independent of the rest of the system.
After it is made, it is
difficult to remove it; but when applied
long time it becomes so well embedded in the
substance that it is not easily removed.
Technology when this
lens feather glass, certain properties which

are made of glass
1. It can be removed by heat and pressure
without damage - but it must be
carefully applied - so that it does not
break or fall off when removed.
2. It can be removed
without damage
3. It can be applied to any part
of the body and remain there without
hurting the skin. It is very fine
material, but it has no power to
influence the body.

MEDITATIONUM JURIDICO-PO-
LITICARUM

Ad

PANDECTAS SACRAS
SPECIMEN PRIMUM

DISSSERTATIO ^{five} JUBILÆA PRIMA
DE USU

S. SCRIPTURÆ
^{In}
JURISPRU-
DENTIA,

Quam

Anno MDCCXXX, ceu jubilæo Aug. Confessionis
In Academia Rostochiensi,

PRÆSIDE

RECTORE ACADEMIÆ,

DN. ERN. JOH. FRID.

Sebastian,

J. U. & Phil. Doct. ac Moral. Prof. Ord.

Studiorum suorum Promotore colendissimo,

Die 29. Mart.

publicè defendet.

CHRIST. DAN. WOLFFRADT,

Rostochiensis.

Rostochi, typis Nicolai Schwiegerovii, Ampliss. Senatus Typogr.

588.

1730, 2.

36

88
VIRO

TITULIS HONORUM ALIIS SATIS CONSPICUO, SIBI
FILIALI CULTU SANCTE SUSPICIENDO,

DOMINO,

**DN. DIETERICO
SAM. WOLFFRADT,**

Serenissimi Ducis Meclenburgici

Consiliario Aulico Splendidissimo, Hæreditario Domino
in Hohen-Schwarffs,

PARENTI

Suo

Omnigeno Filialis obsequii

ardore

Post cineres & ad cineres colendissimo,

Hæc Studiorum Academicorum primitias ex debito offert
rationem studiorum datus & se amori perpetuo
commendatus

devotissimus Filius

RESPONDENS.

DOMINE PARENTS

Colendissime!

584.

Juris Legumque peritos plerumque ut homines summi Numiniis cultum parum curantes ab iniquis & malevolis obtrectatoribus traduci, non ignorant, qui lividam Momi linguam norunt. Hoc equidem negare non ausim, in Jurisconsultorum numero & quondam extitisse & nostro etiam evadari Viros magni alias nominis, qui sanctissima fidei dogmata, sine quibus tamen vera in Deum pietas consistere nullatenus potest, contemnunt, fugillant, rejiciunt. At vero horum impietatem plurimis aut omnibus Juris intelligentiam tenentibus imputare velle, res postremae iniquitatis esset. Quod si jam liceret aliquot Seculorum memoriam repetere, ex iisque vitas Celeberrimorum & insimul maxime Priorum Jurisconsultorum enarrare largae exemplorum seges se mihi offerret. Sed ne longo verborum circuitu patientia Tua, Parents Devenerande! abuti videar, hoc unicum duntaxat monebo, divinas inter & huma-

mas

nas leges, sed pias (nam impias leges legum no-
mine indignas esse, quis inficiabitur?) tam ar-
etam cognationem intercedere, ut, qui huma-
narum legum tenorem docent, colunt & ser-
vant, divina Pandectarum sacrarum monita
ac iussa spernere & rejicere nullo pacto que-
ant. Exemplum capias ex Dissertatione prae-
sente quam sub Praesidio Viri Excellentissimi
atque Consultissimi Dni. Ernest. Joh. Fried.
Mantzelii, J. U. D. Celeberrimi & Morali-
um Professoris Publici Ordinarii Famigeratissi-
mi, hodie Academiae Rectoris Magnifici, Domini Patroni atque
Præceptoris ad urnam usque Colendissimi, defendendam in me su-
scipi. Hec enim ad oculum commonstrare poterit, quam utilis,
quam necessaria sit Sacrarum litterarum cognitio ingenuo Juris
Cultori, quo in Juris & Legum pelago scopuli, vada, imo Scylla &
Charybdis eo facilius evitari queant. Cumque scirem, Te Aestuma-
tissime Domine Parens! istiusmodi Jurisprudentiam non ex profa-
nis solum scriptoribus, sed & ex limpidissimis Scripturarum fonti-
bus haustam, suspicere, adamare & in deliciis habere, nullus dubi-
tavi hasce primicias Academicas Nomini Tuo inscribere atque con-
secrare. Et sane Paternus Tuus in me affectus spem mihi facit cer-
tissimam, Te bocce animi vere filialu ac devoti monumentum
serena fronte accepturum esse. Vale, Parens Colende quem
& Musæo 17. Cal. Aprilis Anno æc Christianæ MDCCXXX.

TUUS

Obsequiosissimus Filius
CHRIST. DAN. WOLFRADT,

590.



INGRESSUS.

Sicce igitur sub umbone & gratia Altissimi ad rem ipsam & primam dissertationem Biblico-Juridicam accedimus; Et quia GENESIS in perfectione tot nobis obtulit observationes, ut huic dissertationi sufficerent, sit illa pace Dominorum Theologorum, quos sancte veneramus, specimen Commentarii Juridico-Politici ad illum Mosaii sanctuarii primum librum. Nec habemus, quæ præloquii loco scriptis in Programmate adderemus, rogamus tamen, ut nemo ad lectionem vel hujus vel ullius insecuræ dissertationis accedat, nisi qui illud Programma perlegerit, accipiet enim ibidem instituti insinuationem, & simul excusationem rationis scribendi per brevissimas theses. Ignoscet præterea flosculis observationum curiosarum passim irrepentium, & tenebit, illos cum rubro operis conferens, regulam: A potiori fit denominatio.

Sapienti sat!

Disp. I.
Resp.
Christian.
Daniel.
Wolff-
radt,
Rostock,

A

Medi-

Meditatio I.

Datur omnino Jus Divinum positivum Universale.



Vi principia non negat, ille inter nos admittit S. Scripturam, & si hoc fecerit, multas leges, quæ vel ante Remp. Judaicam selectam toti orbi publicatæ fuerunt, pro universalibus agnoscet, vel in Rep. Judaicata quidem, perpetuam tamen rationem habentes pro similibus declarabit; Et quæ huic doctrinæ obstare videntur circa modum publicandi præsertim quoad leges matrimoniales Levit. XVIII. uno etiam iœtu poterunt refelli. Leg. Ill. BOHMERI positiones de Gradibus cognationis, annexæ Tract. de Actionibus.

Meditatio II.

Christianos esse Judeos Roformatos cum grano salis erit afferendum.

Sunt qui hoc ingeniose statuunt, inter quos præsertim est Batavus *Lambertus VELTHYSEN*, id inde elicentes, quod, licet concedamus, quasdam leges non esse universales, tamen nobis illæ sanctæ esse debeant, quia Deo illa, quæ super populum Judaicum tunc selectum, & veram Ecclesiam excolem placuerunt, non possunt non & super nos placere, exceptis excipiendis iis, quæ vel mere typica, vel in singulari ratione status fundata. Sed non videmus robur hujus conclusionis, hoc est, non fluit ex hoc asserto apodictica & stringens necessitas, utut haud contrarii simus, si ad ideam Reip. Theocraticæ Judæorum perfectissimæ nostras accommodare leges cæteris paribus æqvum quis judicaverit. Conf. Cl. Dn. KEUFFELII *Elementa Jurispr. Eccl. univers.*

Medi-

591.

• (3) •

Meditatio III.

Genef. I.

Conjugium fratrum & sororum non est contra Jus Naturae.

Vulgare est hoc assertum à necessitate conjunctionis liberorum Adami desumptum, cui resistere nemo poterit, nisi Præadamitas absurdè admiserit. Juvat autem insigniter in concipiendo Jure Divino, quo actus, etiam Jure Naturæ haud turpes, sunt pro illicitis declarati. Nos admiramur sapientiam Divinam, quæ illa, quæ ante lapsum fuissent sine labe & libidine, post eundem, ob concubitus extinguendæ libidinis causa suscepitos, graviter prohibuit; Sic enim voluit mutato civium genio summus Legislator leges etiam mutare.

Meditatio IV.

Gen. I, 27. coll. II. 24.

Polygamia Jure Divino est prohibita.

Ingrata nobis est disceptatio de polygamia, an illa nimur vel Jure Divino vel Jure naturali sit prohibita, & nisi ordinis gratia ad illam delaberemur, lubentius eandem haud attingeremus, quia Rem judicatam hanc dicimus, & quia nobis sufficit, nullam apparere nequidem prudentiæ regulam, cur illam in Rebus. nostris sub capitil poena posse prohiberi dubitaremus. De Jure Naturæ sermo hoc loco non erit, sed de Jure Divino, & ex dicto allegato, si quo alio, concludimus, Deum, qui eo tempore, quo polygamia videbatur esse maximè consulta, unum & simplex conjugum par creavit, eo ipso formam omnibus conjugiis dare voluisse, & hoc ita statuimus, præsertim ob explicationem Christi Matth. XIX. v. 5. Displiceant hæc iis, quibus ad palatum non sunt, nos habemus, cur ea nobis bene placeant.

Meditatio V.

Gen. I, 28.

Benedictio Sacerdotalis non est de essentia matrimonii.

Deum copulasse primos conjuges in sensu hodierno,

A 2

vices-

vicesque Ministri Ecclesi sustinuisse, non sine audacia quosdam afferere cognovimus, sensimusque inde concludi, benedictionem sacerdotalem esse de essentialibus matrimonii; Verum ita in assertionibus nostris claudicare nolumus: A generali enim illa benedictione, quam Deus eo loco etiam omnibus animalibus tribuit, ad specialem nobis frequentatam non valet argumentum, ut taceamus, dubium adhuc esse, an Deus Ministri Ecclesiae, an Principis vel Magistratus personam praesignificaverit. Hæc veritati scribimus, ne superstitione videamur, serio autem protestantes contra opinionem, ac si benedictionem sacerdotalem abesse posse crederemus; Quod enim sit laudabilis ceremonia, qua in hoc actu melior & illustrior adhiberi non potest, quæque sine pruritu novaturiendi & gravi scando, lmo & detimento partis salarii necessaria abrogari inter nos haud posset, hoc tanquam pro aris & focis defendemus.

Meditatio VI.

Gen. II. 27.

*Litigia de Jure Sabbathi quæ Strykius movit, non movere
consulius & rectius fuisset.*

Anno 1707, B. Joh. Sam. STRYKIJUS Jurisconsultus Hal. Resp. Cand. Conrad. Lnd. Wagnero, Brunsv. dissert. defendit de Jure Sabbathi, quæ tot lites & Scripta eristica peperit, ut vident omnes boni illam controversiam nunquam fuisse motam. Nos manebimus in tramite recto, statuentes Obligationem colendi septimum diem esset adeo universalem, ut aliud statuere idem esset ac periculosas Deumque offendentes doctrinas in vulgus, sine tame ullo usu practico spar gere. Progr. interea de incommodis Festorum habet quæ nobis bene placent. Sed plura de hoc commata ad Exodum.

Meditatio VII.

Gen. II.

*Statum integritatis supponere doctrinam nostram
valde illustrat,*

Immor-

952.

(5)

Immortales sunt lites, quæ super genuinum conceptum Juris Naturæ & Juris Gentium agitantur, & habebunt certè ingenia otio abundantia, quæ sine fine controvertent. Placuit nonnullis Jus gentium distinguere in primævum & secundarium, unde textus Juris Romani explicare satagunt: Docent, Jus Naturæ fundatum esse in absoluta, Jus Gentium autem in hypothetica & mutabili necessitate. Valeat hæc Philosophia, quæ licet non adeò sit rationis sibi relicta, ut ut lapsos aliquando homines esse, plusquam probabiliter & ratione assiqui liceat. (*Vid. Presidis prima linea Juris Naturæ.*) Tamen multam nobis parit illustrationem; Nobis, qui revelationem in dubium non vocamus, hæc meditationes de lapsu, de mutata communione bonorum, deque peccati originis labo &c. multam lucem suppeditant ad clariorem Juris Divini positivi conceptum.

Meditatio VIII.

Gen. II. 18.

Finis matrimonii est procreatio sibolis.

Fines matrimonii ritè indagare multum habet usum prædicum tam in quæstione de ineundo, quam in lite de dissolvendo conjugio. Statiunt communiter, alium esse finem primarium, procreationem sibolis scilicet, alium Secundarium, mutuum adjutorium, quibus subiungunt adhuc alium in statu corrupto benè attendendum, extincionem videlicet libidinis; Sufficerent hæc curiae, sed infinitum est Cathedralium desiderum causas liquidas adhuc vel magis liquidas vel obscuriores reddere: Hinc aliis extincio libidinis vel plane non est finis, contra tamen expressum dictum Apostolicum, aliis interea de fine primario sollicitis. Verum salva res est; Inspiciamus conjugii institutionem, & connexio dabit, finem primarium creationis sc̄minæ & cum Adamo conjunctionis fuisse procreationem sibolis, nec obstat vocabulum, Gehilssin, illud enim juxta substratam materiam erit explicandam. Sermo est de dispositione animalium ad

A;

multi-

multiplicationem specierum, & additur, aber vor der Men-
schen ward keine Gehülfen funden; Sed quæso, quis est hujus
litis super ordinem finium usus practicus, ille fortè, an pri-
mario ad facultatem coëundi, an vero adjuvandi respici de-
beat; Puto utrumque requiri & intendi ab initio conjugii,
& adeò arctè simul junctum appeti, ut nullum vel priorem
vel posteriorem dicere queamus; Si autem versemur circa
conjugium olim contractum, nec ob cessantem unum, nec
ob alterum in praxi dabitur divertium. Salvo rectiori judicio.

Meditatio IX.

Gen. II, 22.

An femina sit homo, stulta & Domitiana est quæstio.

Quod ille *Anonymous*, qui, ut credimus, solius ostenta-
tionis ingenii causa probare voluit, foeminas non esse homi-
nes, multus usus fit dictis biblicis ad suum scopum pravè so-
llerter detortis, patebit illum famosum libellum insipienti-
bus. Digna haut sunt argumenta, quæ refutentur, & po-
tuissest *D. Simon Gediccas* dormire, cum illam operam suscep-
ret, & ridendo omnia refutare. Sed nos noluimus plane
dicta depravata in hoc labore præter hoc primum allegare.
Habemus interea *Fabrum* inter nos J^oCtum, qui foeminas ap-
pellat homines lecundarios, eapropter, quia appellantur ein
schwaches Werkzeug; Verum in illo loco parvus est *Faber*,
ut ut fortè alias magnus haberi possit.

Meditatio X.

Gen. II, 24.

Conjugium est individua vita consuetudo.

Illustres *Cocceji*, Pater & Filius, multum ratiocinantur
super definitionem matrimonii Justinianæam, quomodo ni-
mirum in tanta divertitorum luxuria appellari potuerit con-
jugium individua vita consuetudo; Nos, pace tantorum Vi-
rorum, non putamus, illos recte sensisse, dum judicant,
quamdiu nuptiæ sunt, illas esse consuetudinem individuam,
sed

sed censemus, ex intentione contrahentium illam individuam esse, utut ceu apud nos etiam obvenit, divorcium ex gravi causa locum invenire possit: Jus Naturæ interea circa hanc quæstionem non proponit liquida, utut omnium gentium vere moratarum usu individuas sit introducta; Nos qui agnoscimus, quid sit una caro esse ex voluntate divina, placide in ea subsistimus, indeque circa benedictionem ad pactum de non divertendo partes adstringimus.

Meditatio XI.

Gen. II, 24.

*Omnium proxima est cognatio inter maritum & uxorem
adeoque successio conjugum est equissima.*

Multa in iuribus conjugum cum Jure Romano ad Germaniam transierunt, quæ non debuissent recipi; Conjugia Romana erant ferè defultoria, & causæ divorciorum non erant adeo circumscripæ; Hinc siv. ff. de ast. rer. amer. de domin. int. vir. & ux. &c. Hinc levis consideratio partium maternarum circa conjugia liberorum, circa ultimas voluntates matrum & in favorem earundem &c. quæ singula collecta mox dabimus. Nostra conjugia Juri Divino sunt superstructa, hinc oportebat nos esse sollicitos de conclusionibus melioribus etiam in materia de successione ab Intestato, prouti & plurima Jura Provincialia & statutaria à Romanis fecibus sunt purgata per portiones statutarias; Quid enim illustrius divina conjugii institutione, quid significantius verbis: Wird Vater und Mutter verlassen, und an seinem Weibe hangen, und sie werden seyn ein Fleisch. Conf. Excell. Kressis Disser. de equitate successionis conjugalis.

Meditatio XII.

Gen. III, 16.

Maritus est uxoris Dominus.

Dominium mariti in uxorem Juris Divini esse, ex verbis: Er soll dein Herr seyn, ducere solemus, utut alii non imperativa, sed enunciativa verba hæcce divina esse, defendant.

Nos

Nos putamus hanc parænesin non tantum referre, quæ futura erant, sed dictare poenas ob connexionem sententiarum Adamo & serpenti latarum, & quia varia dicta Apostolica, de quibus infra, clare hoc eloquuntur. Interea huic dominio naturam prærogativæ tribuimus, quæ suis includitur limitibus, nec volumus, ut adhibita licet voce dominii nimis rigorosi inde trahantur effectus, improbantes insimul famosam illam glossam: *Die vacen tho pinigendende tho plagende, utut ea, quæ DD. de licita castigatione moderata habent, practica, quamvis haud facilè practicabilia, appellemus.* Quæ Juris Natura circa hanc questionem sunt, multis patent apud PUFENDORFIUM de J. N. & G. Cap. I. v. II. Sed reservamus quædam de pessimo exemplo infra ad Lib. Esther scribenda.

Meditatio XIII.

Gen. VI. 4. iunct. X. v. 9.

Origo Rerumplicarum est ex meta & amore defensionis.

Semper putavimus, illam questionem de origine Rerump. ita definiri posse, quod timor & defendendi studium homines in bonum ordinem politicum coalescere suaserit. Postquam enim dominandi & conquirendi libido sese exeruit penes Tyrannos, & post diluvium penes Nimrodum, quovis vi repelliri possit, oportebat vincula societatis ad mutuam defensionem strictiora facere. Quibus stantibus omnia alia philosophemata circa originem Rerump. exulare jubemus.

Meditatio XIV.

Gen. IX. 5.

Bestiam hominem perimentem amoendum habemus.

Sunt DD. inter quos est SCHILTERUS, ex hoc dicto universalitatem legis de bove cornupeta Exod. XXI. 28. seq. elicentes: Subscribimus nos huic sententiae in tantum, ut bovem talem è medio tollendum esse omnino censeamus;

A

(9)

An autem quoad Dominum illius bovis illam universalitatem admittere habeamus, graviter ambigimus. Notiorius insuper est Art. 136. C. C. C. qui arbitriam penam dilexit beatissimis nocentis Domino.

Meditatio. XV.

Gen. IX. 6.

Homicidium Iure Divino est taxatum.

Est controversia, quam ad recentissimas referre habemus, quia nostri Majores ante Grotium illius non adeò fure memores, an scilicet lex de homicidio sit adeò dispositiva, ut occisor dolosus indistinctè sit capitaliter puniendus? Qui illam negativè excolunt, putant, Deum enunciativè loqui & non poscere, ut humani Judices præcisè sanguinem poscant, addentes, Deum vindictam sibi reservasse, pronunciando, fore, ut homicidæ sanguis profundatur; Unde ulterius inferunt, Principi jus aggratiandi etiam in homicidio doloso non posse denegari. Videantur scripta, quæ Carpovium, Thomassum & alios inter capropter sunt evulgata. Nos statuimus, utrumque novum assertum esse cerebrinum, & subscribimus praxi etiam ob locum Exod. XXII. clarissimum nec invenimus robur in exemplis biblicis à Joabo inter alia desumptis, de quibus suo loco uberioris. Solet interea robur asserti contrarii præsertim queri in eo, quod tunc status naturalis fuerit; Sed Deus super hoc crimen laesa majestatis disponit, quomodo illud per omne mundi ævum sit punendum, dato Judicibus gladio.

Meditatio XVI.

Gen. XIII, 9.

Non per saltum, sed per gradus mundi plagæ fuerunt occupatae.

Egregium erat paclum Abrahami & Lothi: Wilt du zur Linden, so wil ich zur Rechten, quod illustrat antiquissimum statum mundi nondum hominibus repleti; Circumagebant illi

illi Viri divites pecora sua per omnem meliorem pascuorum partem, & nemo adeò erat contrarius; Quod si autem hodie quis tanto cum apparatu & pecudis tanta multitudine vellet horsum vel illorum ire, is certè ne glebam quidem vacantem inveniret. Frustrà igitur laborant Antiquarii nobis persuasuri, quod primi Noachi posteri in Germaniam, imo Sveciam migraverint, stulti enim fuissent illi, si patrios lares & societatem adeò temerè deseruissent, imo iterum stulti, si à meridie versus septentrionem perrexissent. Nec videmus ob amorem Matheos tantam migrandi cupidinem ipsis esse subortam.

Meditatio XVII.

Gen. XIV, 4.

*Feudorum forma generica cum primis politiis
obvia statim est.*

Memorantur hoc loco Reges vel Domini qui vinculo qualicunque quo erga Regem Kedor Laomor obligati fuerant, te extricare rebelli studio tentaverant; Hinc vestigia feudorum se invenisse putant Feudistæ, *Vid. B. STRYK. Exam. Jur. Fend. Cap. I. qv. 3.* Concedimus vestigia ibidem reperiri quatenus etiam tributariorum conditio Vasallis est analoga, quæ enim sunt paætitia ceu omnia in Jure feudali sunt, ea millenis modis possunt differre, & placet distinctio inter formam feudorum genericam & specificam.

Meditatio XVIII.

Gen. XIV, 14.

Vestigia hominum propriorum sunt antiquissima.

Memorantur 318. servi in familia Abrahami nati, quales verna Romani appellari sueverunt, qualesque haud leviter conjectura ita proprios Abrahami fuisse credimus, ut vinculo se exsolvare sine ejus dimissione non valuerint; Hinc concludimus servitutem, qualis erat apud Romanos, fuisse contra naturam ob rigorosos effectus, ast hominum propriorum conditionem etiam inter piissimos tolerari posse, quia omnia

omnia jura hominum, sola libertate omnimoda excepta, retinuerunt. Quod in Rep. Judaica tales fuerint, & quod manumissorum sive libertorum jura ibidem quotidie apparuerint propter tot expressa dicta, nemo ambiguum reddet, vid. Exod. XXI. & passim.

Meditatio XIX.

Gen. XV, 2. 3,

Successio ab Intestate olim tantum fuit cognita.

Mirum est, quosdam DD. effatum Abrahami loco argumenti pro testamentaria successione adhibere, cum tamen retorquendo in ipsos pro adversa sententia retrojici possit. Abrahamus, vir locuples, non habebat liberos, & ægrè fe-rebat, se non habere filium, in quem parta tot laboribus derivare posset, sed relinquenda esse omnia sua bona filio Elieferis, Præfecti sui, quem certè non nominaverat heredem ex testamento, sed videbat, illum ceu supremum aulæ suæ Mareschalli filium, proximum jus habiturum ad massam bonorum suorum; Cum enim occupanti cedere non posset, rectè judicabat, majorem domus ejusque filium proximiorum etiam ob patris præstantiam futurum, qui illam Remp. regendam sibi vindicaret, præfertim quia reliqui 318. vernæ & homines proprii concurrere non possent. Distinguere e- quidem volunt nonnulli inter testamentum simplicissimum & solenne, sed illam distinctionem non admittimus, quia in-tegras gentes benè moratas sine testamenti factione decede-re, tantum cognitum habuisse, deprehendimus.

Meditatio XX.

Gen. XVI, 2. junct. XXX, 5. & 9.

Exempla Patriarcharum Polygamiam, Pellicatum, Con- cubinatum exercentium non faciunt argumentum ad facti justitiam & imitationem.

Scopulorum instar se habent hæc exempla, quibus of-fendimur ambulantes in quæstione de cohabitatione extra-ordinaria; Sed non desunt, quæ reponi possent; Quæ tamen

Iubentius in conflietu, quam in scriptis reponere volumus.
 Placet tamen Megalandri Lutheri verba huc scribere, quæ
 habet loco inferius citando: Es sind etliche Exempel der
 grossen tapfern Helden, die sind Hof- und Ritter, mäsig (versa-
 tur in quæstione de justitia Conjugii Jacobi cum duabus so-
 roribus) die mit dem Gesetz und Recht nicht überein stimmen,
 . . Es ist aber nicht nachzufolgen, . . - als wenn du Jacob
 wirst gleich seyn ic.

Meditatio XXI.

Gen. XVII, 14.

*Non baptizati in nostris Rebus p. non sunt tolerandi, &
 vere nobis etiam sunt politicè heretici.*

Circumcisionem & baptismum sacramenta esse veteris
 & novi testamenti se invicem excipientia, nemo in dubium
 vocare poterit; Prouti & hoc evictum est, non baptizatum
 non esse Christianum; Quia igitur Deus minatus est, quod
 non circumcisum nomen & generatio soll ausgerottet werden von
 seinem Volke, nostrum omnino erit, & nostri sacramenta no-
 vi Testamenti eandem habere rationem, adeò, ut hæreticos
 omnes non baptizatos appellemus etiam illo sensu, ut ad
 jus civitatis non sint admittendi. Sed si nova forsan hæc
 visa fuerit thesis, melioris edocti facile eandem deseremus,
 exspectantes tamen, ut accurate consideretur tempus & ner-
 vus hujus divini interdicti.

Meditatio XXII.

Gen. XIX.

*Lothi concubitus cum filiabus, utut non in Scriptura cett
 delictum taxatus, tamen incestum in linea rectanom
 excusat a crimine contra Jus Naturæ.*

Quod varii Novaturientes in nova doctrina de nuptiis
 prohibitis ad hoc exemplum provocent, nuper experti sumus;
 Sed mox apparuit imbecillitas argumenti alii recte sentienti-
 bus, à silentia enim Scripturæ circa hujus facti poenam ad e-
 jus

596.

••• (13) •••

jus justitiam non valere argumentum, etiam luscus videre poterit. Conf. B. Grünenbergii Diff. de peccatis herorum fidei eminentibus.

Meditatio XXIII.

Gen. XX, 12.

*Abrahami conjugium cum Sara, utut in gradu Jure di-
vino prohibito fuerit, exceptionem tamen, non i-
mitationem inculcat.*

Est hic locus ex numero dubiorum vexatorum, nam omnis opera frustra impeditur ad explicationem prohibitioni Levit. XVIII. non contrariam; Sit enim soror vel consanguinea, vel ex fratre neptis, tamen semper eadem est lis. Hinc ad dispensationem divinam recurrere solent Exegetæ, à quali non valet argumentum. Notum insuper est, Athenienses distinxisse inter sorores consanguineas (ομοωτηρίες) & uterinas (ομομητηρίες) ita ut illas, non has duci permiserint; Quia itaq; Abraham Saram jam duxerat uxorem, quum adhuc gentilis & à Divina revelatione alienus esset, tales inter gentiles usu frequentatam fuisse distinctionem ab antiquissimis seculis, suo exemplo commonstravit. Pueris nostris interea constat quod *Æmilius Probus* habet Cap. I. Cimon. Habebat Cimon in matrimonio sororem germanam suam, nomine Elpinicem, non magis amore quam patro more ductus, nam licet Atheniensibus eodem patre natus Iuxores ducere.

Meditatio XXIV.

Gen. XXV, 6.

*Conjugium Abrahami cum Kethura fuit secundarium,
& quasi ad Morganaticam.*

Natura matrimonii ad Morganaticam inter alia requisi-
ta est, ut liberi ex illo nati sint quidem legitimi & certi pa-
tris, ast quoad successionem disparis juris cum aliis, ex per-
fectiori conjugio natis, dum non conseqvuntur conditionem
patris. Videtur ex substrata materia tale exemplar elucesce-

re, dicitur enim Isaacum successorem universalem & verum heredem Abrahams factum fuisse, & filios ex Kethura natos accepisse donaria: Er gab ihnen Geschenke und ließ sie ziehen. Prouti autem jam scripsimus, Patriarcharum exempla sunt admiranda, non imitanda; Hinc nostram non facimus littem de justitia matrimonii ad Morganaticam nisi disputandi gratia.

Meditatio XXV.

Gen. XXV, 24. seqv.

Primogenitus est, qui verè & totus prior fuit exclusus.
Illustris noster KLEINIUS omnium Megapoleos & Ciorum Pater diss. de dubio primogenitura jure hab. Rostoch. 1697. rarum quidem, ast dabilem casum de Gemellis Illustrum confusis adeò distinctè exposuit, ut ipsi, post refutatas imbecilliores opiniones, sorti judicium tribuenti, subscribere omnino debeamus. Et quod attineret casum, huic partui Rebeccino similem, indagationem ulteriore haud requereret, quam ut decisionem ex hoc divino calculo approbato exemplo perferemus.

Meditatio XVI.

Gen. XXV, 31. sequ.

An jus primogenituræ per Contractum vel pactum possit transferri in alium, ab exemplo Esavi non potest probari.

Quod in Jure Gentium fieri possit talis cesso primogenituræ, nullo equidem caret dubio, modo cum illustri Grotio attendamus distinctos casus, an nimurum primogenitus cedens tempore cessionis habeat filios, an non habeat; Quod enim salvo jure liberorum talis cesso fieri debeat, fluit ex principiis in tali passu sanctè notandis. Quod autem contractum fratrum Esavi & Jacobi attinet, multa circa eundem notanda sunt singularia; Putamus enim Esavi jus primogenituræ non fuisse in commercio, propter annexam variam prærogativam; Observamus etiam patrem Isaacum illum

597.

533 (15) 80+

illum contractum nunquam approbasse, ut taceamus, premium fuisse admodum abjectum & vile. Sed abstrahimus calamum ab iis, in quibus errare facile est. Conf. omnino Deut. XXI. Ubi expressè prohibitum, ne patres carioribus filiis jus primogeniturae tribuant.

Meditatio XVII.

Gen. XXIX.

Conjugium Jacobi cum duabus sororibus fuit admirabile, non imitabile.

Certè fuit admirabile hoc conjugium, exercebat enim Jacobus non solum Polygamiam, sed duas simul sorores coniuges amabat, ut taceamus eundem duas concubinas consensu uxorum adsevisse. Volumus, ut nihil ab hoc exemplo temerè trahatur in argumentum, sufficiunt enim respontiones ad rem facientes. *Evolv. B. Mayeri Tract. de admirabili Jacobi cum duabus sororibus conjugio. Rec. 1717. Wintb.*

Meditatio XVIII.

Gen. XXIX. 25.

Jacob cui Lea loco Rabelis substituta, jure non tenebatur eandem retinere.

Vulgaria sunt principia, errorem circa essentialia vivitare conventionem, quod eo magis verum, si concurrat dolus à parte alterius, qualis hic evidens erat, nulla accedente Jacobi culpa ob ritum velationis tunc frequentatum, quæ enim aliqui de ebrietate Jacobi somniant, turpia sunt, & quod per Rachelis collusionem hæc Comœdia fuerit adornata, circumstantiae non admittunt. Sed difficile fuit Labanum in jus vocare, quippe qui ipsem caput totius familie erat, nullique Magistratui obnoxius. Et quod attinet exceptionem Labani de consuetudine, clarum est, eandem fuisse falso allegatam, quia nuptiae publicæ celebrabantur, & nemo ægrè illud tulerat. Legatur B. LUTHERUS, more suo, id est heroice de hoc facto differens *Tom. IX. Oper.*

Edit.

Edit. Altenb. f. 910. sqq. Jacob hat auff nichts weniger gedacht als dass ihm der alte Schalck entziehen sollte
Er hätte mit guten Recht die Lea verwerfen mögen, und zu Laban sagen: Du hast mir die Rahel vertraut, die will ich behalten und keine andere. Præterea autem quærere an concubitus illius noctis fuerit scortatio, cathedralē reservamus.

Meditatio XXIX.

Gen. XXX. 37.

Dolus bonus fuit, quem Jacobus adhibuit.

Dolus bonus est solertia se tuaque jusque suum conservandi: l. 19. §. 3. ff. de Neg. gest. Laban iniquus erat Pater familias, Jacobumque saepe variando mercedem deceperat; Non autem dabatur locus eundem actione locati pulsandi, atque hinc privata vis dolo bono erat eludenda. Et hoc asserere non dubitamus, quia per revelationem Angelicam Jacobus certior fuit redditus de divina approbatione. Quod interea attinet ipsum artificium magicum quoad corylorum diversicolorum operationem, non sumus de ejus modo tolliti, remittimus cupidos ad scripta, de illa causa passim obvia.

Meditatio XXX.

Gen. XXXIV. 12.

Inter quasdem gentes non uxor marito, sed maritus uxori dotem dare debuit.

De Germanis Veteribus hoc probatum sicutur Scriptores, vid. Cl. BILDERBECKII Deutscher Reichs-Staat P. I. Cap. 1. §. 19. Et quod in genere dotis materia sit de merè civilibus, ut illa non careant rationibus politicis, statuimus. Si autem aliquis dictum locum de donatione propter nuptias explicare voluerit, nos non habebit adeò contrarios. Illustris interea est definitio dotis, quoad finem respiciens ad ferenda onera matrimonii, concordat illa cum natura hujus arcta communionis, & cum flosculo vulgari: Dem ich meinen Leib betraue, dem betraue ich auch mein Guth.

¶ (o) ¶

Famam Majorum Virtutibus propriis augenti

DOMINO WOLFFRADT,

Auditori suo indefesso, Amico humanissimo, Faustissima
quævis precatur,

PRÆSES.

Significant mihi institutum , de adornandis dissertationibus biblico juridicis, vehementer placuit, quod inter meos Dominos Commilitones statim multa inventur ingenia ad defensiones Dissertationum suscipiendas admodum parata. Maximè etiam gratum mihi fuit, quod meo Domino WOLFFRADT haud displicuerit hanc palæstram aperire, & reliquos suos Commilitones ad continuacionem laudabiliter cœptorum provocare. Sic enim juvat ire ad honores, per labores nimirum & per specimina industriae haud vulgaris sed feriæ atque solidæ. Sunt equidem , qui a deo stultos se inventuros Patronos & Promotores confidunt, ut nullis vel eruditionis vel morum exhibitis testimoniiis ad Reip. munera promoteantur; Sed, per Dei gratiam , non vivimus inter penuriam bonorum Virorum, vacante enim officio non tres, non decem, sed centum obvii sunt Candi-
dati. Cave, igitur tibi, Civis Academice ! qui inæstimabile tempus ita consumis ut sudes sis in oculis Parentum, Patronorum, imo omnium Virorum gravium. Bono contrâ sis animo , qui nomen & omen habes bonarum artium, Studiose! Præpara te, & non frustra te præparabis, aperientur enim Tibi patuli ad honores accessus. Meo Domino WOLFFRADT,

RADT, Viro - Juveni singulariter bona ī indolis, quem avita
& proprio sudore parta ornat & ornabit gloria non solum
spem facio, sed sancte promitto, fore, ut Patriæ & Familia
sit ornamento. Veni, qui testem in propria causa omni
exceptione majorem, propitio jure, videre & audire cupis.
Vale Amice Humanissime, & me amare perge. Augeatiam
numerum piorum JCtorum quorum Catalogum nobis nu-
per dedit Vir inter nos literatissimus juriumque scientissimus
Dominus SCHMIDIUS iterumque Vale. Dab. Anno 1730.
d. 23. Mart.

A Rti fatidicæ Thermidos qui oracula jungit
Sanctarum legum, quas DEUS ipse tulit,
Hunc dices merito juris legumque peritum,
Codice dum ex gemino jura ferenda petit.
Tu, WOLFRADTE, tenes hoc pulpita publica scandens,
Propugnansque hodie dogmata sacra DEI.
Gratulor inde Tibi, Fautor, Magnoque Parenti,
Et toti Generi gratulor inde Tuo.

Nobilissimo atque Doctissimo Domino RE-
SPONDENTI, Fautori ac Amico
suo Certissimo inter Amicorum plati-
sus ita adsurgit

M. P. C. Kämpfer.

DG

Da sein Bekantniß stellt der Grosse Gotte-
 Mann,
 Da auss dem Reichs-Convent Er kündlich darge-
 leget,
 Was Gottes Geistes Trieb ihm in das Herz ge-
 präget,
 Da trittst du den Beweß von Deiner Tugend
 an;
 Du zeigest daß Du bist ein eyffriger Jurist,
 Der Gottes Wort zugleich nach Würdigkeit ver-
 ehret,
 Und wer in Rostock heut dich Disputiren höret,
 Der spricht, daß Du mit Ruhm der Ehre wür-
 dig bist.

Dieses liess aus schuldiger Überzeugung
 beyfugen des Herrn Responden-
 denten ergebenster Diener
 T. E. Stever,
 Opponens.

Helf! Göttin Themis auss! verlasse deinen Thron,
 Bereite einen Cranz und ziere deinen Sohn:
 Der

Der ißt mit vielen Ruhm den Helicon bestieget,
 Und seine Wissenschaft im Disputiren zeiget.
 Es ist derselbige der Ehre würcklich wehrt
 Das deine zarte Hand die muntre Scheitel ehrt
 Du aber, Wehrter Freund, wirst mir die Ehre
 gönnen,
 Das ich mich jederzeit kan deinen Diener nennen.

Aus Pflicht & Schuldigkeit setze
 dieses

E. B. Frese,

Rost.

L. L. Cultor.



Rostock Diss., 1728-32

ULB Halle
004 559 568

3



f

Sb.

B.I.G.



MEDITATIONUM JURIDICO-PO-
LITICARUM

Ad
PANDECTAS SACRAS
SPECIMEN PRIMUM

DISSESSATIO ^{five} FJUBLÆA PRIMA
DE USU

S. SCRIPTURÆ
In
JURISPRU-
DENTIA,

Quam

Anno MDCCXXX, ceu Jubilæo Aug. Confessionis
In Academia Rostochiensi,

PRÆSIDE

RECTORE ACADEMIÆ,

DN. ERN. JOH. FRID.
S. C. H. a n g e l ,

J. U. & Phil. Doct. ac Moral. Prof. Ord.
Studiorum suorum Promotore colendissimo,

Die 29. Mart.

publicè defendet.

CHRIST. DAN. WOLFFRADT,
Rostochiensis.

RostochI, typis Nicolai Schwiegerovii, Ampliss. Senatus Typogr.